Vol. III. — Fasc. VII. 15 decembris 1929

MEMORABILIA SOCIETATIS IESU

Ad usum Nostrorum tantum

COMMUNES SOCIETATIS NUNTII

VII.

DE AUDIENTIA SUMMI PONTIFICIS

die 3 decembris 1929.

REVERENDI PATRES FRATRESQUE IN XTO. CARISSIMI:
P. XTI.

Sextus huius voluminis fasciculus vix ad vos est allatus, et ecce nova eaque optatissima vobiscum colloquendi mihi offertur occasio ob sollemnem «audientiam» a Summo Pontifice nobis concessam, in qua totius Societatis vota et munera Beatissimo Patri obtulimus, quaeque, cum singularem profecto mereatur narrationem, hunc fasciculum sola occupabit.

Rerum praeparatio.

1. — Quae Pater Noster de Summi Pontificis quinquagesimo sacerdotii anno a Societate rite celebrando, datis litteris die 16 decembris 1928, praescripserat aut suggesserat (1), ea maxima cum alacritate ubique a Nostris peracta sunt. Cum tamen statuto tempore («ante festum SS. Petri et Pauli anni 1929») thesauri spirituales et Petrianae Stipes et pecunia nostrorum alumnorum ad «bursas» pro clero indigena constituendas nondum ex omnibus Provinciis Romam pervenissent, sollemnis horum Societatis obsequiorum exhibitio ad finem annis iubilaris reiici debuit. Atque ita factum est, ut (quod forte tunc non potuisset) non modo amplior huiusmodi obsequiorum copia colligeretur, sed etiam plenior esset universae Societatis coram Beatissimo Patre apparitio, ut infra narrabo.

(1) *Acta Rom.*, vol. VI, 1928, pag. 100.

Interea, praeter ea quae omnibus Societatis Provinciis communia a Patre Nostro fuerant proposita, ex Missionibus peropportune curatum est ut mitterentur imagines photographicae ad « album » de clero indigena conficiendum, quod pulcherrimum evasit; itemque, omnes Nostri Episcopi et Vicarii Apostolici Missionum Societati commissarum rogati sunt, ut tam ipsi quam eorum Seminaristae variis illarum regionum linguis officiosas epistolas Summo Pontifici scriberent, quod libentissime praestiterunt: hae autem litterae in unum libellum compactae et pulchro involucro obtectae Beatissimo Patri gratissimum exstiterunt munusculum.

Voluit etiam Pater Noster donum aliquod nomine Societatis Ei offerre, quod quidem religiosae paupertatis fines non excederet, sed optimo ac benevolentissimo Patri gratum filiorum animum ostenderet. Atque, re diu et attente perpensa, ad id seligendus visus est liber quidam, auctore Ioanne Bertaud, membranaceis paginis constans, anno 1529 (itaque omnino abhinc quatuor saecula) typis impressus ac perbellis figuris in aes incisis ornatus, quem in nostra quidem bibliotheca habebamus, sed, quamvis apprime pretiosus profecto sit atque etiam rarissimus, ut infra dicemus, cum tamen « de cultu trium Filiarum divae Annae » nonnisi subtiles et curiosas disputationes instituat, et obsoletas liturgicas formulas exhibeat, in Bibliotheca Vaticana aptiorem sane digniorem que locum inveniet.

Sed his communibus amoris significationibus quaedam sive Provinciae sive Missiones haud contentae, sponte aliquod suum donum miserunt, atque ita horum peculiarium donorum elenchus longior quam putaremus factus est, quem infra, additis perbrevibus adnotationibus, legere poteritis.

Haec omnia domi nostrae rite disposita, pridie festi S. Francisci Xaverii, invitante Patre Nostro, complures Patres et Fratres nostrarum domorum Romae exsistentium inviserunt et admirati sunt: liceat ex iis nominatim commemorare RR. DD. Michaelem d'Herbigny S. I. (Prov. Camp.), Episcopum tit. Iliensem, Pontificii Instituti Orientalis Praesidem atque Rectorem.

Personarum delectus.

2. — Iam diu cogitarat Pater Noster haec communia Societatis vota et dona Summo Pontifici non ipse solus exhibere, sed apta Nostrorum circumdatus corona, quae universam Societatem

revera repraesentaret. Et quamquam ad id Curia Praepositi Generalis plane sufficiebat, non modo ob eius officium, sed etiam quia eius membra e compluribus Provinciis adsunt, idque primum fuerat consilium, dein tamen statutum est ut aliae quoque Provinciae, quae in Curia nullum haberent socium, quantum sine nimio incommodo fieri potuisset, per aliquem e suis coram Summo Pontifice se sisterent. Atque ita, advocatis nonnullis Patribus ex aliis nostris Romanis domibus, factum est ut statuto die omnes omnino Societatis Provinciae (si unam Viceprovinciam Canadae Superioris excipias) supremo Christi in terris Vicario debita venerationis obsequia per unum saltem e suis sociis exhibere potuerint. Quin et aliquae vel longinquae Missiones, etiam Iavae, Iaponiae, Sinarum, Indiarum, per aliquem e suis Sociis indigenis, accitis in Urbem Patribus vel Scholasticis ex iis oriundis et ad eas pertinentibus qui forte aut in Urbe aut in aliis non ita dissitis Europae regionibus versarentur (exceptis Missionibus Madecassensibus, quarum nullus Socius indigena in Europa tunc versabatur), studiosissimo Missionum Pontifici suarum gentium vota et gratiarum actiones obtulerunt. Fratres vero Coadiutores Curiae addicti omnium carissimorum Fratrum personam copiose egerunt.

In Aedibus Vaticanis.

3. — Aderamus igitur, die 3 decembris hora 12¹/₂, in Aedibus Vaticanis omnino 110 de Societate: 72 Patres, 9 Scholastici, 29 Coadiutores, quorum omnium nomina, ad insignis huius diei memoriam servandam, per regiones distributa infra recensentur. Ut in eo catalogo videre est, non deerant Socii ritus orientalis: duo enim ex iis ad ritum graeco-slavicum (PP. Javorka et Sakać), unus ad ritum graeco-bulgaricum (P. Karamitroff), unus ad ritum graeco-rumaenicum (P. Chira) pertinebant.

In aulam a Consistorio nuncupatam convenimus, ubi munera Beatissimo Patri exhibenda in mensis apte disposita prostabant. E parietibus meridiana luce micabant duae magnae tabulae pictae S. P. N. Ignatium et S. Franciscum Xaverium referentes: quae quidem tabulae non illo die tantum, nostri gratia, appositae erant, sed constans sunt illius aulae ornamentum, iam inde forsitan ab eorum canonizatione. Id tamen faustissimum profecto nobis auspicium erat, illo praesertim magni Indiarum ac Iaponiae Apostoli festo die.

Patre Secretario singulorum nomina ex ordine appellante, secundum cuiusque regionem singuli singulis appositi iuxta parietes distribuimur, geographicam nationum seriem secuti, quo facilius Summus Pontifex Societatem per totum orbem diffusam prae oculis habeat. Ab hac geographica et viva, ut ita dicam, descriptione excipiuntur, ut par est, Patres Assistentes aliique maiores Curiae officiales, quibus velut « status maior » Societatis constat, quique Patri Nostro proxime adstant.

Coram Summo Pontifice.

4. — Hora 12,45', nobilibus custodibus stipatus, Excell.mo ac RR. D. Camillo Caccia Dominioni, Praefecto Cubiculi Secreti, et Rev.mo D. Alberto Arborio Mella di Sant'Elia, Pincerna, comitantibus, aulam Consistorialem Beatissimus Pater ingressus est, nobis omnibus in genua procumbentibus. Sacrum annulum deosculatus, Pater Noster assurgit et Sanctitati Suae per totam aulam circumeunti ac manum singulis deosculandam praebenti adstat, de singulis referens quis sit et unde venerit. Quosdam aut Sibi iam notos aut peculiari quadam ratione notabiles benevolentissime alloquitur Summus Pontifex, cunctis benignissimum Patrem Sese exhibet.

Ut unum alterumve ex his alloquiis privatis commemorem, ad P. Octavium Marchetti (Prov. Rom.), Romanae Residentiae ad SS. Nominis Iesu Superiorem, cum pervenisset, eum intuitus: «Iam inde a multo tempore, — inquit, — nos invicem novimus!» (1), et quomodo valeret oculis, ex quibus eum laborare sciebat, studiose petiit. Patrem Javorka Pontificii Collegii Russici Rectorem de primis illius novi Collegii alumnis interrogavit. Audiens Patrem Karamitroff primum fuisse Sacerdotem Societatis, qui Orientali ritu sacerdotalem ordinationem susceperit (2), singulare hac de re gaudium ostendit eique peramanter est gratulatus. Patrem Basterra architectum esse et de aedificiis nostris construendis curam gerere cum audisset, statim quandonam nova Pontificia Universitas Gregoriana perfecta futura sit diligenter est percontatus.

(1) P. Octavius Marchetti, qui Societatem ingressus est sacerdos, olim RR. DD. Achillem Ratti in Seminario Mediolanensi professorem audivit, quin et vestem clericalem ex eius manibus susceperat et dein suae primae Missae ad altare assistentem et concionatorem habuit, qui hunc sermonis textum assumpsit: « *Non sum ego sponsus, sed amicus sponsi, qui gaudet propter gaudium sponsi* ».

(2) V. supra, pp. 325, 387.

Sed potissimum cum iis qui ex Missionibus venerant paterne admodum egit: in his optimam partem habuerunt duo Iaponenses, PP. Abe et Ogihara, qui parvam de suis sacerdotalibus primitiis (1) imaginem, ausu vere filiali, Ei dederunt, Eique petenti characteres iaponicos in ea impressos interpretati sunt.

E Fratribus Coadiutoribus duo praesertim peculiari Beatissimi Patris alloquio sunt recreati: Fr. Antonius Arribas, qui membranas spiritualem Societatis thesaurum pro Summo Pontifici mox exhibendum referentes aliosque id genus papyros scite pinxerat; et Fr. Ignatius Banquells, octogenarius, qui proximis quinque Praepositis Generalibus, iam inde a P. Beckx, Frater Socius adfuit, quique ab explendo suae in Curia commorationis anno quinquagesimo haud multum abest; cui Sanctissimus Dominus plurimum gratulatus, « ad multos annos! » exclamavit.

Oblatio donorum.

5. — Singulis hac ratione peramanter salutatis, iam pervenerat Beatissimus Pater ad mensas in quibus nostra dona disposita erant. Ea attente admodum singulatim perpendit, explicationes studiose audiens atque etiam petens, quas Pater Noster Ei suggerebat. Conspicuam thesauri spiritualis summam laetissime excepit; opus quoque pictorium, quo varias thesauri partes apte describebantur, amplissime laudavit. Haud modicam Petrianae Stipis pecuniam et nostrorum alumnorum oblationem ad clerum indigenam in Missionibus efformandum gratissimas habuit.

Nihil autem mirum quod peritissimus Bibliothecarius magni fecerit pretiosum, cuius supra memini (2), Bertaudianum librum, cuius pergamenas paginas cum attente volvisset: « Insigne sane donum! » ait, et Patri Nostro gratias egit plurimas. Aliud quoque volumen manuscriptum libenter excepit, a domino Victorio Antonio Coelho, Mangalorensi civi in Indiis, per P. Aloisium Coelho (Prov. Ven.) illius Missionis Superiorem regularem, Ei dono missum, continens christianum poema lingua mahrattica a P. Thoma Stephens ante tria saecula exaratum, de quo infra dicemus.

Sed hic non vacat singula persequi: satis sit dixisse Beatissimum Patrem omnia prorsus vel minima studiosissime demiratum esse atque omnia acceptissima habuisse. Officiosas litteras

(1) De primitiis sacerdotalibus P. Aloisii Ogihara, v. supra, pp. 325, 385-387.
(2) V. supra, pag. 450.

in volumen compactas a Missione Calcuttensi-Ranchensi missas Scholasticus Nicolaus Kujur (Prov. Belg.), indigena uraonicus, suis manibus obtulit, cui Summus Pontifex ex corde benedixit. Pulcherrimum sericum volumen, quod RR. DD. Simon Tsu S. I., Vicarius Apostolicus de Haimen in Sinis, augusto suo Consecratori offerendum curaverat, pro merito laudavit; sed, cum in postrema pagina characteres sinicos, perbelle acu depictos, non minus quam decem millia annorum Sibi augurari intellexisset, subridens ait: « Nimium est, nimium est! ». Plurimum etiam Eum delectarunt cum dona ab alumnis orphanotrophii « Zi-ka-wei » affabre confecta, tum pictura quaedam symbolica in charta serica sinensi, magnum arborem compluresque aves exhibens ad longaevitatem ominandam et omnium gentium laetitiam ob Summi Pontificis iubilaeum exprimendam.

Summi Pontificis allocutio et gratiarum actio

6. — Donorum perlustratione expleta, thronum conscendit Beatissimus Pater in eoque sedet, et, dum nos coram Ipso stantes paulisper accedimus, Patrem Nostrum in subsellio ad dexterum throni latus posito assidere iubet. Tunc, commota interdum voce singularique cum affectu pulcherrimam ad nos habuit allocutionem, quam hic infra exscribimus (1).

Quod vero in fine allocutionis promittebat, illico praestitit, Sua Ipse manu nomismata Patri Nostro sacrum pedem deosculanti tradens, quae, statim ac, benedictionem impertitus, ab aula Summus Pontifex discessit, sua item manu Pater Noster singulis distribuit. Haec nomismata, ut Sanctissimus Dominus notarat, ex altera parte symbolis eucharisticis ornantur: pisce Christi nomine insignito et sportam panum ferente, ac desuper columba cum ramo olivae de caelo descendente, atque his verbis circumscriptis: « Sumam Christum qui renovat iuventutem meam »; ex altera vero parte effigiem Summi Pontificis thiara redimiti referunt, et haec verba circum leguntur: « Iubilaeum sacerdotale Pii XI Pont. Max. MCMXXVIIII ».

Atque ita, post integram horam eoque amplius, ab Aedibus Vaticanis sancta perfusi laetitia discessimus, faustissimum hunc diem, nulla unquam oblivione tegendum, inter cariores vitae nostrae memorias adnumerantes.

(1) V. infra, pp. 461 sqq.

Scimus autem Summum quoque Pontificem cum familiaribus suis benevolentissime de hac Sibi gratissima audientia per illos dies non semel locutum fuisse et gratias etiam scripto Societati referri iussisse.

Et sane, dum vobis haec scribo, iam ad Patrem Nostrum binae allatae sunt eaeque pulcherrimae Eminentissimi Cardinalis Secretarii Status litterae, quibus, nomine Sanctitatis Suae, amplissimae cum Societati tum nostrorum Collegiorum alumnis aguntur gratiae. Utramque autem hanc epistolam ipse Pater Noster cum universa Societate mox est communicaturus. Complura vero dona, tunc Ipsi a nobis oblata, Beatissimus Pater, pro Suo erga Missiones flagrantissimo studio, iam ad Museum Missionarium Lateranense destinavit; sed quaedam apud Se adhuc habere scimus.

Laetissimae huic narrationi nihil nunc addendum puto, ad alium fasciculum remissa etiam faustissima hodierna beatificatione Martyrum Angliae, inter quos Societas omnino viginti et unum novensiles Beatos connumerat.

Vestrum omnium ss. SS. precibusque me enixe commendo.

Romae, die 15 decembris 1929.

Vestrum omnium
Servus in Xto.
HILARIUS AZZOLINI
Subsecr. Soc. Iesu.

ELENCHUS PATRUM ET FRATRUM

qui communia Societatis vota Summo Pontifici exhibuerunt

die 3 decembris 1929.

A. R. P. N. WLODIMIRUS LEDÓCHOWSKI
Praepositus Generalis.

P. Franciscus de Paula Nalbone, *Assist. Ital.*	Prov.	Sic.
P. Rodulphus van Oppenraaij, *Assist. Germ.*	»	Neerl.
P. Norbertus de Boynes, *Assist. Gall.*	»	Franc.
P. Ferdinandus Gutiérrez del Olmo, *Assist. Hisp.*	»	Legion.
P. Iosephus Welsby, *Assist. Angl.*	»	Angl.
P. Aemilius Mattern, *Assist. Amer.*	»	Neo-Aurel.
P. Petrus Boetto, *Proc. Gen. et Praep. Prov. Rom.*	»	Taur.
P. Iosephus Demaux-Lagrange, *Secr. Soc.*	»	Tolos.
P. Antonius Stravino, *Oecon. Gen.*	»	Neap.
P. Carolus Miccinelli, *Postul. Gen.*	»	Rom.

Ex Europa

Italia	P. Iosephus Gianfranceschi, *Rector Pont. Univ. Gregor.*	Prov.	Rom.
»	P. Octavius Marchetti, *Sup. Res. Rom. ad SS. Nom. Iesu.*	»	»
»	P. Silvius Fabbri, *Rev. gen. libr.*	»	»
»	P. Augustinus Tesio, *Adiut. Proc. Gen.*	»	Taur.
»	P. Aegidius Battiston, *Substit. Italiae.*	»	Ven.
»	P. Hilarius Azzolini, *Subsecret. Soc.*	»	»
»	P. Stephanus Fortun. Corradi, *Adiut. Subsecret.*	»	»
Albania ..	P. Petrus Tuci, *e Dom. 3.ae probat. Florentina (Rom.).*	»	»
Graecia...	P. Leonardus Filippi, *e Coll. Max. Oenipont. (Austr.).*	»	Sic.
Iugoslavia	P. Stephanus Sakać, *Substit. Slavicus* (1).	Vpr.	Iugosl.
»	Schol. Valentinus Rozman (2), *e Pont. Univ. Gregor.*	»	Bras. Centr.

(1) Ritus Graeco-Slavici, natione Croata.
(2) Natione Slovenus.

BULGARIA..	P. Yourdanus Karamitroff, *e Coll. Max. Lugdunensi* (1).	Prov. Lugd.
RUMAENIA.	P. Cornelius Chira, *e Coll. Max. Cracoviensi* (2).	» Pol. Min.
ČECHOSLOV.	P. Vendelinus Javorka, *Rect. Pont. Coll. Russici* (3).	» Čechosl.
»	P. Theophilus Spáčil, *e Pont. Inst. Orientali* (4).	» »
POLONIA...	P. Edmundus Elter, *e Pont. Univ. Gregor.*	» Pol. Mai. et M.
» ...	P. Ladislaus Lohn, *e Pont. Univ. Gregor.*	» » Min.
RUSSIA ...	P. Petrus Hanski, *e Coll. S. Aloisii Parisiensi.*	» Franc.
LITHUANIA.	P. Ioannes Bapt. Bružikas, *e Coll. Kaunensi* (*M. Lith.*).	» Germ. Inf.
HUNGARIA.	Schol. Velimirus Reisz, *e Pont. Univ. Gregor.*	» Hung.
AUSTRIA...	P. Rochus Rimml, *Rect. Pont. Coll. German. Hung.*	» Austr.
HELVETIA..	P. Iosephus Zürcher, *e Coll. German. Hung.*	» Bras. Merid.
GERMANIA..	P. Leo Studer, *Substit. Germaniae.*	» Germ. Sup.
» ..	P. Petrus Lippert, *Script. « Stimmen »* (5).	» » »
» ..	P. Gulielmus Kratz, *Script. in Curia.*	» Germ. Inf.
NEERLANDIA	P. Gulielmus Kea, *Dir. gen. del. Ap. Or.*	» Neerl.
»	P. Henricus van Offeren, *Adiut. Oecon. Gen.*	» »
BELGIUM..	P. Renatus Fraeys, *Minister Curiae.*	» Belg.
» ..	P. Augustus Coemans, *Cur. edit. Inst. recogn.*	» »
» ..	P. Ioannes Bapt. Goetstouwers, *Archivista.*	» »
» ..	P. Hermannus Haeck, *Adiut. Secr. pro Mission.*	» »
GALLIA....	P. Franciscus de Durat, *Substit. Galliae.*	» Lugd.
»	P. Aemilius Villaret, *Praes. Secretariat. Congr. Mar.*	» Camp.
HISPANIA..	P. Rufus Mendizábal, *Substit.* 1 *Hispaniae.*	» Castell.
» ..	P. Petrus Basterra, *Cons. aedil.*	» »
» ..	P. Gabriel Huarte, *Rev. gen. libr.* (6).	» »
» ..	P. Iulianus Sautu, *Parat regesta.*	» »

(1) Ritus Graeco-Bulgarici.
(2) Ritus Graeco-Rumaenici.
(3) Ritus Graeco-Slavici. natione Slovacus.
(4) Natione Čechus.
(5) Romae tunc erat et a Patre Nostro invitatus Summum Pontificem nobiscum adiit.
(6) Rector Pont. Collegi Pii Latini Americani.

HISPANIA..	P. Arthurus Codina, *Script. « Monum. hist. S. I.».*	» Arag.
» ..	P. Mauritius Gordillo, *Vicepraes. Pont. Instit. Orientalis.*	» Baet.
» ..	P. Henricus del Portillo, *Rev. gen. libr.*	» Tolet.
LUSITANIA.	P. Aloisius G. da Fonseca, *e Pont. Instit. Biblico.*	» Lusit.
ANGLIA....	P. Carolus Newdigate, *Hospes Curiae.*	» Angl.
HIBERNIA..	P. Edmundus Power, *e Pont. Instit. Biblico.*	» Hib.

Ex America Boreali

CANADA....	P. Antonius Dragon, *Substit. Angliae.*	Prov. Can. Inf.
»	P. Eduardus Goulet, *Secret. pro Mission.*	» » »
STAT. FOED.	P. Thomas Donnelly, *Substit. Americae.*	» Chicag.
»	P. Ioannes Ios. O'Rourke, *Rect. Pont. Inst. Biblici.*	» Maryl.-N. E.
»	P. Cornelius E. Byrne, *Adiut. Praes. Secr. Congr. M.*	» Calif.
»	P. Augustinus Wand, *e Pont. Instit. Orientali.*	» Missour.
»	P. Gulielmus I. McGarry, *e Pont. Instit. Biblico.*	» Novae Angl.

Ex America Latina

MEXICUM..	P. Camillus Crivelli, *Substit. 2 Hispaniae.*	Prov. Mexic.
COLUMBIA.	P. Ioannes M. Restrepo R., *e Pont. Univ. Gregor.*	» Columb.
BRASILIA..	Schol. Iosephus Laur. Aguiar da Costa, *e Pont. Univ. Gregor.*	Vpr. Bras. Centr.
» ..	P. Candidus Santini, *e Pont. Univ. Gregor.*	Prov. Bras. Merid.
ARGENTINA.	P. Iosephus I. Réboli, *e Pont. Instit. Biblico.*	» Argent.-Chil.
CHILUM...	P. Emmanuel Fernández Pradel, *obiter Romae degens.*	» » »

Ex Oceania

AUSTRALIA.	P. Cyrillus Power (1).	Prov. Hib.

(1) Ex Australia in Hiberniam rediens, Romae tunc obiter erat.

Ex Asia

Iava......	Schol. Albertus Soegija (1), *e Coll. Max. Traiect. ad Mosam.*	Prov. Neerl.
Iaponia....	P. Franciscus Xav. Abe, *e Coll. Max. Valkenburgensi.*	» Germ. Inf.
»	P. Aloisius Ogihara, *e Coll. Max. Oenipont. (Austr.).*	» » »
Sinae.....	Schol. Iosephus Yeu (2), *e Coll. Max. Lugdun.*	» Franciae
Indiae.....	Schol. Albertus Saldanha (3), *e Pont. Univ. Gregor.*	» Ven.
»	Schol. Nicolaus Kujur (4), *e Coll. Max. Lovan.*	» Belg.
Chaldaea..	Schol. Georgius Abboche (5), *e Coll. Max. Lugdun.*	» Lugd.
Armenia..	P. Ioannes Mécérian, *ex Univ. Berithensi* (6).	» »
Libanus..	P. Orestes Keramé, *e Pont. Instit. Orient.*	» »

Ex Africa

Aegyptus.	Schol. Henricus Ayrout, *e Coll. Max. Valsensi (Tolos.).*	Prov. Lugdun.

Aderant praeterea tres alii Patres
per illos dies hospites in Curia degentes:

P. Caelestinus Testore (*Prov. Taur.*).
P. Alfonsus Verhoosel (*Prov. Belg*).
P. Adelelmus Frias (*Prov. Castell.*).

(1) E Missione Bataviae.
(2) E Missione Nankinensi.
(3) Mangalorensis (Miss. Calicutensis).
(4) E tribu Uraonica (Miss. Calcuttensis-Ranchensis).
(5) Ex Iraq oriundus, Excell.mi Patriarchae Syri Gabrielis Tappuni propinquus.
(6) Parisiis tunc versabatur.

Demum aderant FRATRES COADIUTORES *Curiae addicti*:

Amiano Felix (*Prov. Castell.*).
Arnold Edwinus (*Prov. Germ. Sup.*).
Arribas Antonius (*Prov. Arag.*).
Baguñá Narcissus (*Prov. Arag.*).
Banquells Ignatius (*Prov. Arag.*).
Barlassina Ioannes Bapt. (*Prov. Ven.*).
Bellon Victor (*Prov. Lugdun.*).
Eceiza Franciscus (*Prov. Rom.*).
Gorostiza Franciscus (*Prov. Castell.*).
Hagemann Bernardus (*Prov. Germ. Inf.*)
Herrero Aemilius (*Prov. Legion.*).
Iragui Bonifacius (*Prov. Castell.*).
Kolecki Iosephus (*Prov. Pol. Mai. et Maz.*).
Lampe Maximilianus (*Prov. Neerl.*).
Loinaz Michael (*Prov. Legion.*).
Luján Salvator (*Prov. Tolet.*).
Miranda Iosephus (*Prov. Legion.*).
Morant Iosephus (*Prov. Arag.*).
Mulatti Angelus (*Prov. Ven.*).
Oteiza Esdras (*Prov. Castell.*).
Otrebski Eugenius (*Prov. Pol. Min.*).
Oyen Hermannus (*Prov. Belg.*).
Prieto Iosephus (*Prov. Legion.*).
Sangalli Iosephus (*Prov. Ven.*).
Sanmartín Theophilus (*Prov. Castell.*).
Sullivan Philippus (*Prov. Chicag.*).
Tortosa Aloisius (*Prov. Arag.*).
Villa Raimundus (*Prov. Castell.*).
Weidinger Ioannes B. (*Prov. Ven.*).

PP. 72 — Schol. 9 — Coad. 29 — Univ. 110.

Repraesentatae erant:

Provinciae (aut Viceprov.) Societatis 39
Missiones Societati commissae . . . 9
Nationes 37

QUAEDAM PECULIARI RATIONE MEMORANDA

I.

ALLOCUTIO SUMMI PONTIFICIS AD PATRES ET FRATRES SOCIETATIS IESU DIE 3 DECEMBRIS 1929 HABITA.

Dilettissimi Figli,

Ecco una di quelle udienze che Ci mettono veramente in qualche, per quanto gradito, paterno imbarazzo, perchè, come dicevamo ai Nostri cari Romani, che domenica gremivano la Basilica Vaticana e poi alla sera in larghe rappresentanze vennero in udienza, quale « benvenuto » possiamo dare ai più vicini e a Noi più familiari, a voi Romani, sebbene siamo soliti dare il « benvenuto » a tutti quelli della grande famiglia cattolica che vengono da tutte le parti del mondo alla casa del Padre?

In altro senso, poichè tra voi non vi sono solo dei vicini ma anche dei venuti da tutte le parti del mondo e Noi abbiamo potuto accostarvi ad uno ad uno e fare, con alcuni anzi rinnovare, la conoscenza personale di ciascuno: Voi ci portate tutto il mondo, da vicino, da lontano, da lontanissimo; in altro senso adunque, ma che benvenuto possiamo dare a voi, che siete una rappresentanza così bella, così grande, così grandiosa come è grandioso il mondo tutto?

Ma vi sono altri argomenti di tale paterno gradito imbarazzo: voi non solo siete una porzione della grande famiglia cattolica, ma anche una parte così eletta e, come sapete, come sanno tutti, così cara al Nostro Cuore, come fu cara a tutti i Nostri Predecessori che hanno avuto il bene di convivere con la vostra Compagnia; anzi con la Nostra Compagnia, che ha il programma, il proposito di essere la Nostra Compagnia, la Compagnia del Vicario di Gesù Cristo, appunto perchè è la Compagnia di Gesù.

E poi voi venite non solo da tutte le parti, ma da tali parti: da Province, da Missioni, da Collegi, da istituti di ogni genere, radiatori della vita cristiana, della scienza, della educazione, della educazione completa, come voi, come la Compagnia ha sempre avuto in mira e in pratica, dell'educazione cristiana, completamente, profondamente, convintamente, squisitamente cristiana.

E a tale rappresentanza avete voluto aggiungere anche dei doni: dei doni spirituali e materiali, spirituali e sensibili, pensabili e appena pensabili, come sono quei magnifici numeri di Messe, di opere buone, vera opulenza spirituale, sublime poesia dei numeri! (*Nel dire questo, il Santo Padre, dalla voce, dagli occhi, dal gesto, appariva molto commosso*). In queste cose, quando i numeri servono a rappresentare tesori di virtù, di santità, di santi pensieri e di sante opere, sono una vera poesia, anche più di quei numeri (e il P. Gianfranceschi ne conviene certamente) (1), pur così belli, che cantano le grandezze uraniche, le grandiosità astronomiche, che manifestano la potenza di Dio. Vi è più tesoro spirituale in una lagrima, in un sospiro, in una voce uscita dal cuore, che non in tutte quelle grandi masse di materia, per quanto sembrino animate per quell'ordine mirabile che si direbbe vita, tanto è moto.

Accanto ai tesori spirituali avete voluto aggiungere l'obolo propriamente detto così generoso, così obbligante, e tanti altri doni sia vostri sia degli alunni a voi affidati, che mostrano così di veramente corrispondere alle vostre cure nelle Missioni, nei Collegi, dove li educate.

Voi dunque non solo fate parte così eletta anche della parte eletta della Chiesa, ma siete pure una milizia, e tale milizia, che assorge a tali origini, che ha tale storia gloriosa, e possiamo ben aggiungere che ha tale presente! Passato e presente che promettono già un prospero futuro, come già si scorge in quella così grande benedizione di vocazioni che avete.

Siamo venuti qua preparati a vedere belle cose, ma anche, lo confesseremo sinceramente, preparati a non avere grandi sorprese, poichè già da tempo siamo avvezzi al modo che tiene la Compagnia quando si tratta della Chiesa e del Vicario di Cristo. Non già che la Nostra aspettativa non fosse grande, ma pure vi farà piacere di sentire che avete saputo sorpassare anche la No-

(1) V. notam infra, pag. 464.

stra grande aspettativa. Voi siete venuti, raccolti (come voi solo potevate fare) da tutte le parti del mondo, per dire al Padre comune la parte che prendete agli avvenimenti Suoi personali (anche qui grandi numeri) e ai grandi eventi di questo anno giubilare, per dirGli che al vostro cuore non sono sfuggiti questi avvenimenti.

Ringraziamo dunque voi, e con voi, poichè siete rappresentanze così rappresentative, ringraziamo tutta la Compagnia. Basterebbe impersonare la Compagnia nel vostro caro Padre Generale, ma non vogliamo omettere di usare un mezzo così bello, come è la vostra presenza, per far pervenire la Nostra paterna compiacenza, la Nostra paterna riconoscenza, a tutti, ai grandi e ai piccoli, ai grandi e agli umili, ai piccoli e agli umili in modo speciale.

Con questi sentimenti, sopra tutti e singoli, sopra tutto quello che voi rappresentate di opere e istituzioni (una vera specie di universo soprannaturale!), sopra tutte le persone, sopra i vostri confratelli, compagni vostri nella grande Compagnia, sopra tutte le case e le opere che fanno capo ad esse, sopra tutto quello e tutti quelli che voi portate nella mente e nel cuore, ai Superiori che vi guidano, ai Fratelli che con voi lavorano, a tutti quelli che furono preparatori e artefici di questi doni, a tutta la Compagnia, a tutto quello che pensate ed amate (immensa, bellissima, giocondissima, grandiosamente apocalittica visione di opere!) scenda e resti la Benedizione Apostolica e vi accompagni per tutta la vostra vita.

* * *

Impartita la benedizione, il Santo Padre disse di voler dare un piccolo ricordo di questa cara udienza, una medaglia con simboli eucaristici, che carità di figli Gli ha procurato. Le consegna di Sua mano nelle mani del P. Generale, del loro Padre comune, affinchè ricevendola da lui, la ricevano veramente come dalle mani del Papa.

Latina interpretatio:

En audientia, quae in aliquas, gratas illas quidem et paternas, angustias Nos adducit eo fere modo quem experti sumus, cum dilecti Nostri Romani, qui nudius tertius postquam mane Vaticanam Basilicam implessent, a meridie delecti ad Nos accedebant. His enim dice-

bamus: Nos qui omnibus orbis filiis ad Nos accedentibus salutem apprecamur, quam salutem vobis vicinioribus et domesticis, vobis Romanis, dicemus?

Verum, etsi simili, diversa tamen quadam ratione, dilectissimi filii, res vobiscum agitur. Inter vos sunt qui ex qualibet mundi plaga, ex quam maxime dissitis quoque regionibus adsunt, ut Nobis innotuit dum vos singulos recenseremus singulosque, praeter quosdam iam notos, primum agnosceremus. Vos itaque totius mundi personam pulchre, magnifice, splendide geritis, quemadmodum magnificus est universus orbis. Quaenam igitur fiet salutatio Nostra? Verum alia sunt quae angustias, quas diximus, utut gratas, vos alloquendi augent. Vos estis magnae familiae catholicae non tantum portio, sed lecta portio et, quemadmodum nostis, et omnes norunt, cordi Nostro cara portio, ut cara fuit omnibus Praedecessoribus Nostris, quibus cum vestra Societate coaevos esse feliciter contigit, immo cum Nostra Societate, utpote quae et intendat et proponat et velit esse Societas Nostra, Societas Vicarii Christi, propterea quod sit Societas Iesu.

Accedit quod non undecumque venistis, sed talibus ex partibus venistis: a Provinciis, a Missionibus, a Collegiis, ab omni institutionum genere, quae vita christiana, scientia, educatione radiant; educatione inquam plene, profunde, et ex persuasione egregie christiana, quod semper Societas voluit et praestitit vosque vultis et peragitis.

Nec legatione contenti munera addidistis: munera spiritualia, munera sensibilia, quae vix cogitatione assequi licuisset, ut magnificus ille Missarum numerus operumque bonorum: vera opulentia spiritualis, sublime numerorum poema (*dum haec diceret Sanctus Pater oculis, voce, gestu et totius corporis habitu commotione affectus videbatur*): cum enim numeri sanctarum cogitationum et operum sunt indices, poema efficiunt, atque illos quoque numeros superant (etiam P. Gianfranceschi id ultro concedet) (1) «uranicos» et astronomicos, qui quidem magnificentiam Dei eiusque potentiam extollunt. Vel in una voce, desiderio, lacrima plus inest pretii ad caelum, quam in praegrandibus illis materiarum molibus, quae tanto ordine et motu circumferuntur, ut vix non vita praeditae esse videantur.

Iuxta hos spirituales thesauros obolum pecuniae adiecistis, generosum illum quidem atque gratia dignum; alia insuper tot munera cum ex vobis tum ex alumnis vobis concreditis, qui hac ratione ostendunt quam digne vestris curis in Collegiis, in Missionibus respondeant.

Vos igitur, ex electa Catholicae Ecclesiae parte lecta portio, militia estis et talis militia, quae talibus originibus gloriatur, talique gloriosa historia; insuper, addamus, tali praesenti statu gaudet! Praeteritum ergo et praesens prosperum futurum portendunt, cuius rei indicium est vocationum, quibus affluitis, copia benedicta.

Ut verum fateamur, huc venimus pulchra quidem videre parati,

(1) P. Iosephus Gianfranceschi, Rector Pontificiae Universitatis Gregorianae et Professor physicae ac rei astronomicae, atque Praeses Pontificiae Academiae Scientiarum: qui audientiae intererat.

inexpectata autem omnino videre vix putabamus: iamdiu enim generosis Societatis moribus assuevimus, cum res est pro Ecclesia et Christi Vicario. Magna equidem expectabamus, verum (iucundum vobis cadet audire) vos ipsam Nostram expectationem, quamvis magnam, superastis. Accessistis lecti ex orbe terrarum (quod vos soli praestare poteratis) et undecumque venistis ad Patrem communem ut Ei diceretis vos sacra Ipsius iubilaei gaudia magnosque huius anni eventus non praeterisse, immo vos ea participasse ex corde, quemadmodum vestra haec praesentia testatur.

Gratias igitur vobis agimus et in vobis universae Societati Iesu quam insigniter exprimitis. Ad hoc sufficeret dilectus Pater vester Generalis, sed opportunissimam hanc occasionem nacti, vestrae praesentiae munus committimus paternae voluptatis, paternae gratiae omnibus Superioribus et inferioribus, magnis et parvis et humilibus — his praecipue — deferendae.

Quidquid praeterea bonorum operum et institutionum (universitas Nobis quaedam videtur supernaturalis, visio quaedam operum immensa, speciosissima, iucundissima, apocalyptica!) quidquid personarum, vestros confratres ac magnae Societatis sodales, quidquid Domorum et operum inde manantium, quidquid demum et quoscumque mente vel corde volutatis, eos denique qui haec dona pararunt vel eorundem artifices exstiterunt, universam in summa Societatem Benedictione Apostolica ac permanenti, totam vestram vitam comitante, afficimus.

* * *

Post haec Summus Pater nomisma, carae audientiae mnemosynon, dixit distribuendum. Ipse suis manibus Patri Nostro ea nomismata commisit. Pretiosum munusculum, signa Eucharistica referens, ab eodem Patre Nostro, ut Pontifex e conspectu evasit, in eadem illa aula accepimus.

II.

ELENCHUS DONORUM
SUMMO PONTIFICI PIO XI
DIE 3 DECEMBRIS 1929
EXHIBITORUM.

Ex iis donis, quae, ut supra diximus (1), Summo Pontifici sunt oblata, quaedam tamquam universae Societatis obsequium, quaedam proprio quarumdam Provinciarum aut Missionum nomine exhibita sunt. De his omnibus aliquid dicemus, secundum eum fere ordinem, quo oblata sunt.

1. — Thesaurus spiritualis ex universa Societate collectus.

Et primum quidem illud venit commemorandum quod ipse Beatissimus Pater pluris fecisse constat, ingentem dico spiritualem thesaurum ab omnibus Nostris certatim collectum: « sublime numerorum poema » ut eum definivit Sanctitas Sua (2). — Et sane, en eloquentissima horum numerorum series:

Missae celebratae	1ª *intentione*	61.835
	2ª *intentione*	76.309
Missae auditae		601.339
Sacrae Communiones sacramentales		517.825
» » *spirituales*		415.380
Visitationes SS. Sacramenti		1.363.072
Pia « Viae Crucis » exercitia		69.619
Corollae Rosarii B. M. V.		815.097
Orationes variae		7.933.274
Opera mortificationis		2.393.815
Opera varia		4.503.158

Singula pietatis exercitia, e quibus constabat hic thesaurus, singulis pergamenis pagellis, aptis symbolis exornatis, perbelle

(1) V. supra, pag. 453.
(2) V. supra, pp. 462, 464.

descripta erant; quae omnes paginae in unum libellum erant compactae. Eas omnes scite pinxerat Fr. Coad. Antonius Arribas (Prov. Arag.).

Primam paginam haec ornabat inscriptio:

PIO PP. XI
SUMMO CHRISTI IN TERRIS VICARIO
QUINQUAGESIMUM AB INITO SACERDOTIO ANNUM AGENTI
SOCIETAS IESU UNIVERSA
ARTISSIMO OBEDIENTIAE VINCULO
SEDI APOSTOLICAE SINGULARITER ADDICTA
HUMILEM SPIRITUALIUM FLORUM FASCICULUM
DUCI SUO AC PATRI AMANTISSIMO
GRATULABUNDA
D. D. D.

ROMAE, 3 DECEMBRIS 1929.

2. — Stipis Petrianae summa.

Alterum Societatis munusculum, etsi inter « sensibilia » dona admuneraretur, de quibus Summus Pontifex locutus est (1), intentione tamen apprime spirituali nobilitabatur: Petrianam Stipem dico ab omnibus Societatis Provinciis et Missionibus collectam, quae hoc anno iubilari, ob maxime commendandam Superiorum et Procuratorum liberalitatem, non sine Nostrorum omnium sacrificio, ad summam profecto haud spernendam succrevit, ad italicarum videlicet libellarum quinquies centena millia. — Membrana autem, a Fr. Coad. Antonio Arribas perbelle depicta, donum et donantium mentem enarrabat in haec verba:

PIO PP. XI
COMMUNI CATHOLICAE FAMILIAE PATRI
OMNIBUS FILIORUM NECESSITATIBUS UBIQUE SUCCURRERE
VEHEMENTER EXOPTANTI
SOCIETAS IESU
PETRIANA STIPE E SUIS PROVINCIIS COLLECTA
TENUE IUBILARE MUNUSCULUM
500.000 ITAL. LIBELL.
HUMILITER DONO DAT ATQUE DICAT.

ROMAE, 3 DECEMBRIS 1929.

(1) V. supra, pp. 462, 464.

Quingentas has millenarias publici aerarii syngraphas custodiebat zona ex pelle affabre confecta et Summi Pontificis insignibus ornata.

3. — Nostrorum alumnorum peculia « pro clero indigena ».

Simili pellita zona tegebantur aliae ducentae triginta quinque millenariae syngraphae, quas nostrorum Collegiorum alumni propria pecunia contulerant ad quaedam pro clero indigena Missionum instituenda peculia seu « bursas »: quam oblationem tanti fecit Beatissimus Pater, ut carissimis iuvenibus peculiares referrentur gratias voluerit, datis ad id Patri Nostro litteris die 12 decembris, quae mox cum omnibus Provinciis communicabuntur.

Etiam hic offerentium mentem referebat pergamena charta ab eodem Fratre Arribas depicta, imaginibus Sanctorum Missionum Patronorum Francisci Xaverii et Teresia a Iesu Infante decorata, in qua haec legebantur:

PIO PP. XI
SUMMO DOMINICI OVILIS PASTORI
STUDIOSISSIMO MISSIONUM PONTIFICI
ALUMNI COLLEGIORUM SOCIETATIS IESU
UBIQUE EXISTENTIUM
PROPRIA COLLATA PECUNIA
AD SACERDOTES INDIGENAS IN MISSIONIBUS MULTIPLICANDOS
235.000 ITAL. LIBELL.
D. D. D.

3 DECEMBRIS 1929.

4. — Pretiosus pergamenus liber.

Quartum donum, quod profanis oculis minoris forte momenti visum esset, sed reapse et magni pretii erat et ab augusto Donatario maximi factum est, vetere illo libro constabat, de quo supra diximus (1). Eius pretium, praeter pergamenam chartam et incisas imagines et impressionis nitorem, in eo est, quod et antiquus sit (anno 1529, ideoque ante quatuor omnino saecula, editus est) et nunc rarissimus evaserit: nam tria tantum eius exemplaria exstant Parisiis in Bibliotheca Nationali sed charta communi impressa; duo vero exemplaria Petrocorii (*Périgueux*), ubi auctor

(1) V. supra, pag. 450.

diu vixit, sed probabiliter etiam illa sunt ex charta communi, nec aliud exemplar ullibi, quod sciatur, invenitur; ideoque illud nostrum unicum esset membranaceum exemplar, et unum ex sex solis exemplaribus superstitibus.

Auctor fuit Ioannes Bertaud, Iacobi filius, Turre Alba (*Tour-Blanche*) apud Ribérac in Engolismensi (*Angoulême*) ducatu in Gallia natus die 18 iulii 1502. Dum suum hoc opus Parisiis imprimendum curat, idest anno 1529, « in utroque iure licentiatus » dicitur. Canonicus dein Petrocoricensis electus, utrumque ius in illa urbe professus est, canonicus theologus demum renuntiatus. Obiit die 8 septembris 1572. — En quomodo Ioannes Amplexor Belgicus, secundum illius temporis usum, in ipso hoc libro de eius auctore poetice cantet:

Ad Io. Bertaudum Petragoricum eximium utriusque iuris professorem Ioannis Amplexoris Belgici diodecastichon.

Taurus coelestis, taurus mons, taurus in aruo:
Haec tria cognomen dant referuntque tuum.
Vt sidus radias, stas vt mons, robore taurum
Assequeris: virtus haec tibi dona dedit.
Alba turre satum te prima Lutetia cepit
Alma tholosa dehinc: sequana rursus habet.
Grammata Parrhisiis didicisti, iura Tholosae:
Nunc te nobilium cura forumque tenet.
Nec tamen vsque adeo causis ciuilibus instas,
Quin serues studiis ocia digna tuis.
Inter nanque tuos praesens foetura labores,
De triplici Maria nobile prodit opus.

Opus, de quo agimus, 162 paginis constat, sed potius triplicem dixeris libellum in unum librum compactum, prout editor ipse animadvertit, haec adnotans:

« Habes itaque lector tria aurea sane opuscula, ex domini Ioannis Bertaudi Petragorici Turrisalbae in Ducatu Engolismensi alumni officina: Encomium videlicet trium filiarum diuae Annae, Horarium et Missale earundem officium; et de cognatione diui Io. Baptistae cum eisdem et earundem liberis, libellos treis: quae omnia imprimebat Iodocus Badius Ascensius, iam finem prospectans ad X. Calendas Decemb. 1529 ».

Totum opus dicatum est Claudio de Longwy, Lingonensium (*Langres*) Episcopo eidemque duci ac uni e proceribus Galliae, necnon Ioannae Aurelianensi, Regis Galliae Francisci I sorori.

Ut editor, allatis verbis, innuit, prima pars tota est in asserenda veritate traditionis, nunc sane obsoletae, qua sanctae mulieres Maria Salome et Maria Cleophae putabantur germanae sorores Beatissimae Virginis Deiparae. Bertaudus nos edocet commune harum trium Filiarum divae Annae (aut potius duarum Sororum B. M. V., ut patet ex oratione liturgica) festum agi plerumque die 25 maii. Huius cultus antiquitatem et iura defendit contra novatores (« adversus Lutheranos », ut dicitur in titulo) et auctoritatem adducit non minus sexaginta theologorum aliorumque ecclesiasticorum scriptorum.

Altera pars Officium et Missam complectitur, quae die festo illarum Sanctarum adhibebantur. Nisi a nostro scopo nimis longe abesset, iucundum foret ex antiquis his ingenuisque liturgicis documentis quaedam curiosiora delibare. Liceat hic, speciminis gratia, *orationem Missae* et *Prosam post Epistolam* exscribere:

OREMUS. Deus, qui beatas Mariam Iacobi et Mariam Salome gloriosissimas Genetricis tue Virginis Marie sorores, ad denunciationem gloriose tue resurrectionis elegisti et tecum in gloria hodierna die gloriosius collocasti; tribue quesumus: ut a peccatorum morte resuscitati et earum intercessione suffulti, in celo perenniter viuere valeamus: qui viuis et regnas cun Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

PROSA: Laudes Christo decantemus * hymnos dulces personemus: Ma- [rie sororibus.
Iubilemus hijs matronis * que fruuntur vite donis: cum supernis ciuibus.
Iste due sunt sorores * stelle maris et sunt flores: pares pari nomine.
Nam Marie sunt vocate * prole sancta sunt dotate: plene sancto flamine.
Hijs duabus Anna mater * sed non fuit unus pater: cum Maria Virgine.
Nam Ioachim et Cleophas * Anne nubunt et Salomas: subsequenti ordine.
Primus gignit Xpiferam * Cleophas gignit alteram: et Salomas tertiam.
O quam felix, quam preclara * Anna mater et quam cara: trinam gignens [filiam.
Non fuerunt steriles * sed in prole nobiles * precurrente gratia.
Prima Deo dedicata * Xpm gignit illibata: manent claustri lilia.
Sequens est Iacobi mater * qui dicitur Xpi frater: in similitudine.
Ioseph iustus Symon et Thadeus * ex hac simul pater est Alpheus: sacro [gaudente numine.
Zebedeus ex alia * Iacobum de Galicia: Iohannes huic additur.
Hee sunt matres egregie * et sunt Anne filie: sic fecunda redditur.
Hee sorores cum Maria Magdalena mente pia: valde mane veniunt
Dolentes ad monumentum * et secum ferunt unguentum: Xpm non inueniunt.
Heu quis voluet petram querunt * reuolutam conspexerunt: viso pauent angelo.
Qui dulciter has affatur * ut nuncient exhortatur: cuilibet discipulo.

Atque Petro nunciari * vult angelus nec celari: sed ut vadant passu pari * [statim in Galileam.
Que dum irent audientes * quod viueret et credentes: adest Christus ad ge- [mentes * occurrens per plateam.
Has salutat valde lete * eisque dicens auete: ecce viuus sum, gaudete * pa- [tet resurrectio.
Tunc accedunt et beatos pedes tenent amplexatos: osculantur perforatos * [mulcet leta visio.
Resurgentis sunt nuncie primordia leticie intimarunt laude plena cum Ma- [ria Magdalena * desolatis fratribus.
Ergo pie nos matrone * que nepotem in agone: vidistis et resurgere: faciatis [nos scandere secum in celestibus. Amen.

Tertiae vero partis argumentum ipse eius titulus bene longus satis indicat, qui ita sonat:

Divinarum humanarumque rerum peritissimi, iuris utriusque professoris eximii, Domini Ioannis Bertaudi Petragorici Turrisalbae in ducatu Engolismensi alumni, de cognatione sacerrimi Ioannis Baptistae cum filiabus et nepotibus beatae Annae libri tres ab eodem expurgati et emuncti: in quibus de agnatione et cognatione, affinitate et consanguinitate ac virginitate viuendique formula, summo studio solertique cura pleraque perlucída ac plusquam aurea idem Do. Bertaudus perbelle et adamussim exarauit. Auspiciis augustissimae Principis Ioannae Aurelianensis, Gyueriensium Dominae ac Comitis de Barcq.

5. — Ex Missionibus.

Oblationibus nomine Societatis Summo Pontifici exhibitae duo quoque volumina adnumerare liceat, quae ex Missionibus Societati commissis confecta sunt, de quibus, quamquam iam supra meminimus (1), ne hic quidem silere fas est.

Primum perbelle compactas habebat officiosas litteras sive ab Episcopis et Vicariis Apostolicis de Societate, sive ab alumnis Seminariorum in Missionibus Societati concreditorum Beatissimo Patri dicatas, variis exaratas linguis variisque decoratas ornamentis.

Alterum photographicas imagines complectebatur omnium, quantum fieri potuit, sive Praesulum sive Sacerdotum sive Seminaristarum, qui ex indigenis cuiusque Missionis gentibus orti sunt. Gratum sane spectaculum, studiosissimo praesertim Missionum Pontifici, qualem nunquam non Sese ostendit Pius XI.

(1) V. supra, pag. 450.

Secundum recentiores computationes, hic est *Cleri indigenae* status in nostris Missionibus:

Sodales S. I.:		*Saeculares:*	
Sacerdotes	161	Sacerdotes	269
Scholastici	184	Semin. maior.	448
Coadiutores	150	Semin. min.	584
		Semin. praep.	435
Universi	495	Universi	1736

6. — Ex quibusdam Societatis Provinciis aut Domibus.

1) *Charta pergamena thesaurum spirituale quorundam Collegiorum alumnorum ac fidelium externorum exhibens.* — Eam hic integram exscribimus, quippe quae ad varia Collegia et ecclesias nostra sese refert:

PIO PP. XI
SANCTISSIMO CHRISTI IN TERRIS VICARIO
QUINQUAGESIMUM A SUSCEPTO SACERDOTIO ANNUM RECOLENTI
ALUMNI QUORUNDAM SOCIETATIS IESU COLLEGIORUM
ET QUIDAM CHRISTIFIDELES
BENEDICTIONEM APOSTOLICAM
PRO SE SUISQUE
HUMILITER IMPLORANTES
HUNC FLORUM SPIRITUALIUM FASCICULUM
SPONTE OFFERUNT

3 DECEMBRIS 1929

Missae auditae	602,929
Sacrae Communiones sacramentales	487,418
» » spirituales	32,345
Visitationes SS. Sacramenti	338,613
Pia exercitia Viae Crucis	45,627
Coronae Rosarii B. M. V.	823,053
Aliae orationes	1,864,567
Mortificationes	841,538
Varia	1,640,335

2) *Alia charta pergamena cum parvo albo, thesauro spirituali ac devota inscriptione ex Patribus ac Fratribus Provinciae Lusitanae.* — Thesaurus tamen spiritualis cum illo totius Societatis computatus erat: id quod etiam de sequenti valet.

3) *Item ex Patribus ac Fratribus Collegii Neo Eboracensis S. Francisci Xaverii* (Prov. Marylandiae - N. E.).

4) *Charta pergamena praegrandis et perbelle ornata, adiecta obsequii significatione, ex Pontificio Seminario Campano* (Prov. Neapol.).

5) *Liber pelle compactus cum devota inscriptione, thesauro spirituali, imaginibusque photographicis alumnorum Seminarii Archiepiscopalis minoris Travnicensis* (Viceprov. Iugosl.). — In epistola dedicatoria bene longa, filiali cum animi expansione, alumni Beatissimo Patri enarrant, quae ad Summi Pontificis mentem plenius assequendam praestare curent, praesertim academiis in Congregatione Mariana institutis ad documenta pontificia studiose perpendenda. — Summa totius thesauri spiritualis peculiaribus industriis inter alumnos collecti haec erat: 6.740.033.

6) *Liber obsequiorum, inscriptionum devotarum ac subscriptionum, quem variis linguis (latina, graeca, gallica, flandrica) miserunt Collegiorum alumni Provinciae Belgicae.* — Pulcherrima haec collectio quomodo confecta fuerit enarrat epistola dedicatoria a Praeposito Provinciali simul cum libro missa et Summo Pontifici post aliquot dies exhibita, quam hic exscribendam ducimus:

TRÈS SAINT PÈRE.

A l'occasion du Jubilé Sacerdotal de Votre Sainteté les 8250 élèves des 14 Collèges de la Compagnie de Jésus en Belgique ont été invités à offrir à Votre Sainteté une cotisation prélevée, en faveur du Clergé indigène, sur leurs modestes bourses.

J'ai l'honneur d'en transmettre à Votre Sainteté le montant, 42,820 francs, par le chèque ci-joint (1).

(1) Haec pecunia cum communi Collegiorum nostrorum oblatione, de qua supra diximus (pag. 468), coniuncta est.

Les classes supérieures ont eu aussi à rédiger une Adresse à Votre Sainteté en français, en flamand, en latin et en grec.

Les trois meilleures adresses de chaque langue ont été reliées en un Album que j'ai l'honneur d'offrir aussi à Votre Sainteté. Il sera particulièrement agréable au coeur de Votre Sainteté d'apprendre que, parmi les adresses, deux sont dues à des élèves russes, l'un Léon Nagivine, converti il y a cinq ans au Collège Notre-Dame de Tournai, l'autre, Grégoire Perlinghi, orthodoxe, élève de l'Internat St. Georges de Namur.

Daigne Votre Sainteté accorder à tous nos élèves
Sa Bénédiction Apostolique.

De Votre Sainteté
le très humble serviteur en Jésus-Christ
F. Willaert, S. I.
Provincial de la Compagnie de Iésus en Belgique.

7) *Charta pergamena obsequiis ac devotis inscriptionibus illustrata ex Universitate Fordhamensi* (Prov. Maryland. - N. E.).

7. — Ex quibusdam Missionibus.

1) *A RR. DD. Prospero Paris S. I., Vicario Apostolico Nankinensi*:

a) Theca magna rotunda ex ligno affabre caelato, ab alumnis Orphanotrophii « Zi-ka-wei » confecta, spiritualem Vicariatus thesaurum continens;

b) Velum sericum pro Pyxide, eiusdem Orphanotrophii opus, in quo acu et sericis filis depictae sunt imagines SS. Cordis Iesu, B. M. V. Immaculatae, S. Francisci Xaverii, S. Teresiae a Iesu Infante.

Utrumque hoc donum mirabundos omnium oculos trahebat, praesertim lignea illa theca, cuius innumerae figurae sculptae donorum vectionem e Sinis usque Romam perbelle describebant.

2) *A RR. DD. Simone Tsu S. I., Vicario Apostolico de Haimen in Sinis*: Magnum ac pulcherrimum Album sericum, spiritualem Vicariatus thesaurum acu descriptum continens. — Singulae paginae affabre ornantur symbolis, figuris, sinicis characteribus acu et serico filo depictis: ultima pagina omen 10.000 annorum signis expressum continet (1). — Hoc autem donum vere insigne custodia lignea cristallis munita tegebatur; in qua duo quoque vexilla (alterum Pontificium, sinicum alterum) serico panno confecta habebantur.

(1) V. supra, pag. 454.

3) *Seminarium Maius Zi-ka-weiense apud « Shanghai »*: Album sericum cum inscriptione devota thesauroque spirituali.

4) *Litterae gratulantes ab indigenis alumnis nostrae Missionis Calcuttensis-Ranchensis* (Prov. Belg.) *variis linguis conscriptae* (1).

5) *Missio Sinensis « Wuhu »* (Prov. Castell.): Album geminum cum gemino Missionariorum ac fidelium thesauro.

6) *Collegium Pontificium Scodrense* (Albania - Prov. Ven.): Obsequium ac thesaurus alumnorum spiritualis.

7) *Seminarium Pontificium Kandyense* (Miss. Gallens., Prov. Belg.): Obsequium ac thesaurus spiritualis.

8) *Missio Armena in Syria* (Prov. Lugd.): Imago photographica Summi Pontificis in serico panno immediate impressa, additis variis operibus acu confectis.

9) *Missio Tananarivensis* (Prov. Tolos.): Obsequium ac spiritualis thesaurus. — Ex hac eadem Missione, et proprie *e Seminario minore Ambohipensi* una cum thesauro spirituali ingenuam epistolam lingua « malgascica » conscriptam miserunt Seminaristae, quam, etsi longam, hic gallice versam transcribere liceat.

TRÈS SAINT PÈRE,

Quelle n'a pas été notre joie, à nous Malgaches, à la nouvelle de Votre Jubilé! Nous en prenons occasion pour présenter nos salutations et nos hommages au Vicaire du Christ-Roi.

Salut, Père très aimé, chef visible de l'Eglise, montagne inaccessible au voile des brouillards et à l'usure du temps, faîtage où aboutissent tous les chevrons, trésor unique au monde.

Salut! Que Dieu Vous bénisse! Qu'il Vous préserve de toute maladie, de tout malaise! Qu'il Vous accorde un très long règne et de nombreuses années pour répandre vos bienfaits! Puisse Votre Sainteté saisir toujours le noeud des questions à trancher, trouver le point juste dans le commandement, la perspicacité dans le blâme, l'équité dans ses appréciations! Ainsi remplira-t-Elle perfaitement sa charge, entourée de l'amour de tous ses enfants, des chefs surtout qui Vous suivront fidèlement comme le Baudrier d'Orion accompagne la lune, comme l'étoile du matin escorte le soleil.

(1) V. supra, pag. 453.

Voilà nos salutations, voilà nos voeux, Très Saint Père. Et maintenant nous Vous remercions:

d'avoir donné à Madagascar tant de missionnaires pour nous convertir et nous faire du bien;

d'avoir nommé et placé des Evêques dans les principales villes de l'île;

d'avoir pourvu à l'avancement de nos Séminaires et de nos prêtres indigènes;

d'avoir introduit dans notre île nombre de religieux et religieuses aux costumes variés; ils sont les défenseurs et la gloire de notre pays; ce sont des nénufars qui agrémentent nos lacs, des figuiers qui parent nos campagnes; ce sont des arbres qui donnent l'or et les perles, à l'ombre desquels tout est d'émeraude et d'azur.

Très Saint Père, nous Vous aimons car Vous êtes le lieutenant de Jésus-Christ.

Nous Vous aimons, car Vous êtes notre Père, le Pasteur des brebis et des agneaux.

Nous Vous aimons, car Vous êtes le Rocher sur lequel est bâtie l'Eglise, c'est Vous qui nous ouvrez le ciel.

Nous Vous aimons à cause de votre spéciale dilection pour nous Malgaches; et parce que nous Vous aimons, nous défendrons votre principauté contre les assauts des ennemis de l'Eglise catholique romaine.

Et si quelqu'un, fût-il puissant, portait atteinte à Votre primauté dans notre pays, nous ferions en sorte qu'il se brise les dents, tel un rat qui ronge de fer sans pouvoir en détacher miette pour son déjeuner; et quiconque s'en prendra à Votre Sainteté sera comme un milan qui s'attaque au granit: il y meurtrira ou même il y laissera ses griffes.

Enfin nous promettons à Votre Sainteté une obeissance parfaite en tout, et notre concours pour l'extention du royaume de Dieu en particulier dans notre pays.

Nous promettons d'imiter le zèle de ces missionnaires exemplaires que Vous avez envoyés parmi nous.

Nous promettons de prier pour Vous, particulièrement pendant le temps de Votre Jubilé.

Voilà notre discours, Père bien aimé. Nos prières et nos offrandes suppléeront à sa médiocrité, combleront son insuffisance, fortifieront sa faiblesse, effaceront ses déficits.

VOICI NOS OFFRANDES:

Messes	4,800
Communions	5,263
Visites au Saint Sacrement	10,281
Actes de Charité	5,945
Résistence aux tentations	6,938
Sacrifices	21,726
Chapelets	2,294
Total	101,236

Encore une fois Très Saint Père, que Vos années se succèdent nombreuses.

JOSEPH RABOBA

au nom des Séminaristes d'Ambohipo.

10) *Missio Iamaicensis* (Prov. Novae Angl.): Album cum spirituali thesauro.

11) *Missio Salisburyensis* in Africa Merid. (Prov. Angl.): - Variae parvae paterae, ab alumnis Scholae apostolicae « Driefontein », e fibris ligneis seu corticibus plantarum confectae.

8. — A privatis viris.

Haud immerito nostrarum Missionum donis alia duo addere possumus, quae a privatis quidem viris, sed e Missionibus Societati commissis et per quosdam Nostros missa sunt.

1) *Pictura, charta sinensi serica, opus domini Thomae Tsiang* (1), cuidam alumno nostro (Semin. Zi-kawei) propinqui. — Allegoriam exhibet: prunus alta = vitae longaevitas; 50 passeres in eius ramis et 50 passeres humi stantes = gaudium populorum pro 50 annis sacerdotii Summi Pontificis et augurium pro aliis annis bene multis.

2) *Missio Calicutensis* (Prov. Ven.): Antiquum manuscriptum « Purana » continens, seu poema P. Thomae Stephens S. I. lingua « mahrattica » (Vita D. N. I. C.) a domino Victorio Coelho (2) epistola dedicatoria oblatum. — Auctor, P. Thomas Stephens (Busten seu Buston etiam dictus), natus est in dioecesi Salisburiensi in Anglia anno 1549, Societatem ingressus est anno 1578, et paulo post Goam versus solvit, quo, exeunte anno 1579, feliciter pervenit. Post 40 annos in Missione Salsettana transactos, Goae obiit anno 1619 (3).

Ex epistola dedicatoria domini Coelho hanc de manuscripto notitiam excerpimus:

Pater Thomas Stephens, inclytae Societatis Iesu alumnus, ad occiduas Indiarum oras inter Anglicae gentis cives primus appulit, saeculo ineunte decimo septimo. Dum paganorum conversioni strenuam dabat operam, simul indolem illarum gentium atque propensiones sedulo explorabat vir sagacissimus, gaudensque comperit, insita quadam vel potius innata proclivitate ad subtiliora efferri populi ingenium, artisque poeticae oblectamentis vel rudiores affici volupe.

Idololatricae superstitionis dogmata, licet pervetusta, iuvenili quodam viroro miserorum animis tenacissime haerebant, ope praesertim poematum quae, homerico veluti modo rhapsodiis conflata, fabulas ab ultima repetitas antiquitate, easque absonas omnes plerasque etiam turpes, incolumes intactasque servabant.

(1) V. supra, pag. 454.

(2) Propinquus is est P. Aloisio Coelho, Superiori regulari Missionis Calicutensis (Prov. Ven.), civi Mangalorensi.

(3) Cfr. Sommervogel, Bibliothèque de la C. d. J., vol. II, sub nomine *Busten*.

Lethalis huius veneni aptum antidotum propinandi percupidus, Pater Stephens epos quoddam, poetici sui afflatus pietatisque fetum, neophytis legendum cantandumque obtulit, quo Christianae fidei humilis origo triumphalisque exitus exquisite enarrantur Mahrattico carmine. Nec pium vatem spes sua fefellit. Ingenti enim plausu sacrum poema a Christianis excipitur, ita ut quos antehac obscaena falsorum numinum commentitia delectabant facinora, eosdem deinceps Christi Sanctorumque gesta ad coelestes excitabant agones.

Mangalorensibus vero apprime carum venerandumque evasit sacrum *Purana*. Cum enim eorum maiores ab immiti Mahumetanorum tyranno anno MDCCLXXXIV in diram, Babylonensi illi Iudaeorum haud absimilem, abducti fuissent captivitatem, ibique quindecim transegissent amaros annos, pastoribus orbati, Sacramentis destituti, sine sacrificio et paene sine Deo in hoc mundo, civibus, inquam, illis extorribus non modo suavis causa solatii fuere dulces melodiae strophas recinentes istius Purana, sed fidei dogmata Christique passiones ne memoria exciderent valido fuere adiumento.

Poematis manuscriptum exemplar, vetustate clarum, ceu familiaris thesaurus in paterna domo domini Coelho hactenus religiose asservabatur. Videtur esse manuscriptum pro censura Sacrae Inquisitionis paratum: ideoque, etsi poema sit lingua mahrattica confectum, characteribus tamen latinis est exaratum.

Hoc autem poema primum typis editum est anno 1616 Rachol in Collegio S. I. et pluries dein rursus editum.

In « *Die Katholischen Missionen* » mensibus aprili-iunio huius anni 1929, P. Ioannes Dindiger, ex Oblatis Mariae Immaculatae, tres articulos vulgavit circa naturam, momentum et miros effectus huius sacri poematis, asserens illud ad Indiarum evangelizationem multum contulisse.

APPENDIX.

QUAEDAM DONA PARTICULARIA

post diem 3 decembris 1929 Summo Pontifici exhibita.

Quaedam dona Summo Pontifici destinata, sed quae cum Societate non ita directam connexionem habere videbantur, non cum aliis, at aliquot post dies Beatissimo Patri per officiales Secretariae Status transmissa sunt. — His addebantur etiam quaedam peculiaria dona a Nostris quidem missa, sed post audientiam ad nos allata.

Haud absonum videtur de his quoque omnibus obsequiis Summo Christi in terris Vicario a Nostris aut saltem per Nostros oblatis brevem memoriam servare.

Oblationes cum Societate non ita directe connexae.

1) *E Dioecesibus Gallensi et Trincomaliensi* (Ins. Ceylon), quas regit Episcopus RR. DD. Vedastus Robichez S. I.: — Stipis Petrianae duorum annorum (1928-1929) summa, cum thesauro spirituali. Ut videre est ex ipsis numeris, hoc anno 1929 summa oboli Petriani duplicata est in honorem iubilaei Summi Pontificis:

Galle: 1928:	ital. libell.	2000	*Trincomali*: 1928:	ital. libell.	1450
1929:	» »	5500	1929:	» »	3550

2) *E Vicariatu Apostolico Nankinensi in Sinis*, quem regit RR. DD. Prosper Paris S. I.: — Occasione iubilaei Summi Pontificis, praeter 40.000 ital. libell. ab Episcopo Coadiutore RR. DD. Augusto Haouisée non ita pridem Romam allata (quae in urbe Shanghai a sociis Actionis Catholicae potissimum collecta erant), alia 49.000 ital. libell. collecta sunt inter omnes fideles Vicariatus vel pauperrimos, qui omnes libenter minutos saltem obolos dare gestierunt.

3) *E Vicariatu Apostolico de Haimen in Sinis*, quem regit RR. DD. Simon Tsu S. I.: — 8000 ital. libell., inter fideles totius Vicariatus collecta, pro Seminario Sinensi Romae condendo.

4) *E Dioecesi Calicutensi in Indiis*, quam regit RR. DD. Paulus Perini S. I.: — Beatissimo Patri filiale obsequium ital. libell. 2650.

5) *E Dioecesi Ranchensi in Indiis*, quam regit RR. DD. Ludovicus Van Hoeck S. I.: — Album cum devota dedicatione ab Ursulinis Monialibus illius Dioecesis missum.

Dona post audientiam Romam allata.

1) *E provincia Novae Angliae*: — Liber perbelle compactus thesaurum spiritualem singularum Provinciae Domorum singulis paginis descriptum exhibens una cum imagine photographica sacelli domestici cuiusque Domus: opus a Scholastico theologo Iosepho G. Mears confectum.

2) *E Collegio S. Aloisii Sydneyensi* (Miss. Austral., Prov. Hibern.): — Thesaurus spiritualis ab alumnis collectus. — Illud notandum quod et ipsum Collegium quinquagesimum suae existentiae annum celebrat; quod cum in epistola dedicatoria perbelle commemoretur, eam hic cum spiritualium florum fasciculum transcribimus:

COLLEGIUM S. ALOISII SYDNEYNSE (AUSTRALIA).

Communiones devotionis	1107
Missae	1420
Coronae	5103
Visitationes SS. M.	4433

Sanctissime Pater,

Alumni Collegii Sydeneyensis Sancti Aloisii in Australia ad pedes *Sanctitatis Vestrae* provoluti, feliciter concurrentibus annis Jubilaei, et Sacerdotis auspicati Summi nostri Pontificis et Collegii nostri, dimidio inde saeculo fundati, hoc nostri amoris pignus, minimum quidem sed pientissimum, summo ardore, fiducia summa, devotissime offerimus.

Necnon nobis magistris, parentibus benedictionem a *Sanctitate Vestra* benigne impertiendam, humillime obsecramus.

P. Speight
Inter Alumnos Primus.



MONUMENTUM SS. CORDIS IESU

ROMAE IN HORTO CURIAE SOC. IESU

ANNO 1930